EPIGRAMMATUM SACRORUM LIBER.



CANTABRIGIÆ,

Ex Academiæ celeberrimæ typographeo. 1634.

R

ti
Ig
on
ex
fr
&
ct
pr
pr
le
ti
et

REVERENDO ADMODUM VIRO
BENJAMINO LANY
SS. Theologiæ Profeſſori,
Aulæ Pembrochianæ Cuſtodi digniſſimo,

ex ſuorum minimis
minimus
R. C.
cuſtodiam cœleſtem
P.

SUus eſt & florũ fructus; quibus fruimur, ſi non utiliùs, delicatiùs certè. Neque etiam rarum eſt quòd ad ſpem veris, de ſe per flores ſuos quaſi pollicentis, adultioris anni, ipſiúſq; adeò Autumni exigamus fidem. Ignoſcas igitur (vir colendiſſime) properanti ſub ora Apollinis ſui, primæque adoleſcentiæ laſciviâ exultanti Muſæ. Teneræ ætatis flores adfert, non fructus feræ: quos quidem exigere ad ſeram illam & ſobriam maturitatem, quam in fructibus expectamus meritò, durum fuerit; forſan & ipſâ hac præcoci importunitate ſuâ placituros magís: Tibi præſertim quem paternus animus (quod fieri ſolet) intentum tenet omni ſuæ-ſpei diluculo, quò tibi de tuorum indole promittas aliquid. Ex more etiam eorum, qui in præmium laboris ſui pretiúmque

tiumque patientiæ feſtini, ex iis quæ ſeverunt ipſi & excoluerunt, quicquid eſt floſculi prominulum, primâ quaſi verecundiâ auras & apertum Jovem experientis arripiunt avidè, ſaporémque illi non tam ex ipſius indole & ingenio quàm ex animi ſui affectu, foventis in eo curas ſuas & ſpes, affingunt. Patere igitur (reverende Cuſtos) hanc tibi ex iſtiuſmodi floribus corollam necti; convivalem veró: nec aliter paſſuram Sydus illud oris tui auſpicatiſſimum niſi (quâ eſt etiam amœnitate) remiſſiore radio cùm ſe reclinat, & in tantum de ſe demit. Neque ſanè hoc ſcriptionis genere (modò partes ſuas ſatìs præſtiterit) quid eſſe potuit otio Theologico accommodatius, quo nimirum res ipſa Theologica Poëticâ amœnitate delinita majeſtatem ſuam venuſtate commendat. Hoc demum quicquid eſt, amare tamen poteris; & voles, ſcio: non ut magnum quid, non ut egregium, non ut te dignum denique, ſed ut tuum: tuum ſummo jure; utpote quod è tua gleba, per tuum radium, in manum denique tuam evocata fuerit. Quod reſtat hujus libelli fatis, exorandus es igitur (vir ſpectatiſſime) ut quem ſinu tam facili privatum excepiſti, eum jam ore magìs publico alloquentem te non aſperneris. Stes illi in limine, non auſpicium modò ſuum, ſed & argumentum. Enimvero Epigramma ſacrum tuus ille vultus vel eſt, vel quid ſit docet; ubi nimirum amabili diluitur ſeverum, & ſanctum

ſuavi

ſuavi demulcetur. Pronum me vides in negatam mihi provinciam; laudum tuarum, intelligo: quas mihi cùm modeſtia tua abſtulerit, reliquum mihi eſt neceſſariò ut ſim brevis: imò verò longus nimiúm; utpote cui argumentum iſtud abſciſſum fuerit, in quo unicè poteram, & ſine tædio, prolixus eſſe. Vale, virorum ornatiſſime, neque dedigneris quòd colere audeam Genii tui ſerenitatem ſupplex tam tenuis,&(quoniam numen quoq; hoc de ſe non negat) amare etiam. Interim verò da veniam Muſæ in tantum ſibi non temperanti,quin in hanc ſaltem laudis tuæ partem, quæ tibi ex rebus ſacris apud nos ornatis meritiſſima eſt, iſtiuſmodi carmine involare auſa ſit,qualicunque,

SAlve,alme cuſtos Pierii gregis:
Per quem erudito exhalat in otio;
Seu frigus udi captet antri,
Sive Jovem nitidóſque ſoles.

Non ipſe cuſtos pulchrior invias
Egit ſub umbras Æmonios greges;
Non ipſe Apollo notus illis
Lege ſuæ meliore cannæ.

Tu ſi ſereno des oculo frui;
Sunt rura nobis, ſunt juga, ſunt aquæ,
Sunt plectra dulcium ſororum;
(Non alio mihi nota Phœbo)

Te dante, caſtos compoſuit ſinus;
Te dante, mores ſumpſit; & in ſuo
Videnda vultu, pulverémque
Relligio cinerémque neſcit.

Stat cincta dignâ fronde decens caput:
Suóſque per te faſſa palàm Deos,
Comíſque, Diva, veſtibúſque
Ingenium dedit ordinémque.

Jámque ecce nobis amplior es modò
Majórque cerni. Quale jubar tremit
Sub ós! verecundúſque quantâ
Mole ſui Genius laborat!

Jam qui ſerenas it tibi per genas,
Majore cœlo Sydus habet ſuum;
Majórque circum cuſpidatæ
Ora comit tua flos diei.

Stat cauſa. Nempe hanc ipſe Deus, Deus,
Hanc ara, per te pulchra, diem tibi
Tuam refundit, obvióque
It radio tibi ſe colenti.

Ecce, ecce! ſacro in limine, dum pio
Multúmque prono poplite amas humum,
Altaria annuunt ab alto;
Et refluis tibi plaudit alis

Pulchro

Pulchro incaleſcens officio, puer
Quicunque criſpo ſydere crinium,
Vultúque non fatente terram,
Currit ibi roſeus ſatelles.

Et jure. Nam cùm fana tot inviis
Mœrent ruinis, ipſáque (ceu preces
Manúſque, non decora ſupplex,
Tendat) opem rogat, heu negatam!

Tibi ipſa voti eſt ara ſui rea.
Et ſolvet. O quàm ſemper apud Deum
Litabis illum, cujus aræ
Ipſe preces priùs audiiſti!

Venerabili viro Magiſtro *Tournay*, Tutori ſuo ſummè obſervando.

Meſſis inauravit Cereri jam quarta capillos,
Vitis habet Bacchum quarta corona ſua,
Noſtra ex quo, primis plumæ vix alba pruinis,
Auſa tuo Muſa eſt nidificare ſinu.
Hîc nemus, hîc ſoles, & cœlum mitius illi:
Hîc ſua quod Muſis umbra vel aura dedit.
Sedit ibi ſecura malus quid moverit Auſter,
Quæ gravis hybernum vexerit ala Jovem.
Neſcio quo interea multùm tibi murmure nota eſt:
Nempe ſed hoc poteras murmur amare tamen.
Tandem ecce (heu ſimili de prole puerpera) tandem
Hôc tenero tenera eſt pignore facta parens.
Jamq; meam hanc ſobolem (rogo) quis ſinus alter ha-
Quis mihi tam noti nempe teporis erat? (beret?
Sed quoq; & ipſa Meus *(de te)* meus, *improba*, tutor
(Quàm primùm potuit dicere) dixit, erit.
Has ego legitimæ, nec lævo ſydere natæ
Non puto degeneres indolis eſſe notas;
Nempe quòd illa ſuo patri tam ſemper apertos,
Tam ſemper faciles nôrit adire ſinus.
Ergò tuam tibi ſume: tuas eat illa ſub alas:
Hoc quoque de noſtro, quod tuearis, habe.
Sic quæ Suada tuo fontem ſibi fecit in ore,
Sancto & ſecuro melle perennis eat.
Sic tua, ſic nullas Siren non mulceat aures,
Aula cui plauſus & ſua ſerta dedit.
Sic tuus ille (precor) Tagus aut eat objice nullo,
Aut omni (quod adhuc) objice major eat.

Orna-

Ornatiſſimo viro Præceptori ſuo colendiſſimo, Magiſtro *Brook*.

O Mihi qui nunquam nomen non dulce fuiſti
Tunc quoque cùm domini fronte timendus eras!
Ille ego pars veſtri quondā intactiſſima regni,
De nullo virgæ nota labore tuæ,
Do tibi quod de te per ſecula longa queretur
Quòd de me nimiùm non metuendus eras:
Quòd tibi turpis ego torpentis inertia ſceptri
Tam ferulæ tulerim mitia jura tuæ.
Scilicet in foliis quicquid peccabitur iſtis,
Quod tua virga ſtatim vapulet, illud erit.
Ergò tibi hæc pœnas pro me mea pagina pendat.
Hîc agitur virgæ res tibi multa tuæ.
In me igitur quicquid nimis illa pepercerit olim,
Id licet in fœtu vindicet omne meo.
Hîc tuus inveniet ſatìs in quo ſæviat unguis,
Quódque veru docto trans obeliſcus eat.
Scilicet hæc mea ſunt; hæc quæ mala ſcilicet: ô ſi
(Quæ tua nempe forent) hîc meliora forent!
Qualiacunque, ſuum nôrunt hæc flumina fontem.
(Nilus ab ignoto fonte ſuperbus eat)
Nec certè nihil eſt quâ quis ſit origine. Fontes
Eſſe ſolent fluvii nomen honórque ſui.
Hic quoque tam parvus (de me mea ſecula dicant)
Non parvi ſoboles hic quoque fontis erat.
Hoc modò & ipſe velis de me dixiſſe, Meorum
Ille fuit minimus. Sed fuit ille meus.

LECTORI.

LECTORI.

SAlve. Jámq; vale. Quid enim quis pergeret ul-
Quà jocus & luſus non vocat, ire voles? (trá?
Scilicet hîc, Lector, cur noſter habebere, non eſt;
Delitiis folio non faciente tuis.
Nam nec Acidalios halat mihi pagina rores;
Noſtra Cupidineæ nec favet aura faci.
Fruſtra hinc ille ſuis quicquam promiſerit alis:
Fruſtra hinc illa novo ſperet abire ſinu.
Ille è materna meliùs ſibi talia myrto;
Illa jugis meliùs poſcat ab Idaliis.
Quærat ibi ſuus in quo ceſpite ſurgat Adonis,
Quæ melior teneris patria ſit violis.
Illinc totius Floræ, veríſque, ſuíque
Conſilio, ille alas impleat, illa ſinus.
Me mea (caſta tamen, ſi ſit rudis) herba coronet:
Me mea (ſi rudis eſt, ſit rudis) herba juvat.
Nulla meo Circæa tument tibi pocula verſu:
Dulcia, & in furias officioſa tuas.
Nulla latet Lethe, quam fraus tibi florea libat,
Quam roſa ſub falſis dat malè fida genis.
Nulla verecundum mentitur mella venenum:
Captat ab inſidiis linea nulla ſuis.
Et ſpleni, & jecori foliis bene parcitur iſtis.
Ah malè cum rebus ſtaret utrumque meis.
Rara eſt quæ ridet; nulla eſt quæ pagina prurit:
Nulla ſalax, ſi quid nôrit habere ſalis.

Non

Non nudæ Veneres: nec, ſi jocus, udus habetur:
Non nimiùm Bacchus noſter Apollo fuit.
Nil cui quis putri ſit detorquendus ocello;
Eſt nihil obliquo quod velit ore legi.
Hæc coràm, atque oculis legeret Lucretia juſtis:
Iret & illæſis hinc pudor ipſe genis.
Nam neque candidior voti venit aura pudici
De matutina virgine thura ferens:
Cùm veſtis nive vincta ſinus, nive tempora fulgens,
Dans nive flammeolis frigida jura comis,
Relligioſa pedum ſenſim veſtigia librans,
Ante aras tandem conſtitit; & tremuit.
Nec gravis ipſa ſuo ſub numine caſtior halat
Quæ pia non puras ſummovet ara manus.
Tam Venus in noſtro non eſt nimis aurea verſu:
Tam non ſunt pueri tela timenda dei.
Sæpe puer dubias circum me moverat alas;
Jecit & incertas noſtra ſub ora faces.
Sæpe vel ipſe ſua calamum mihi blandus ab ala,
Vel matris cygno de meliore dedit.
Sæpe Dionææ pactus mihi ſerta coronæ;
Sæpe, Meus vates tu, mihi dixit, eris.
I procul, i cum matre tua, puer improbe, dixi:
Non tibi cum numeris res erit ulla meis.
Tu Veronenſi cum paſſere pulchrior ibis:
Bilbiliciſve queas comptiùs eſſe modis.
Ille tuos finget quocunque ſub agmine crines:
Undique nequitiis par erit ille tuis.

Ille

Ille nimis (dixi) patet in tua prælia campus:
Heu nimis eſt vates & nimis ille tuus.
Gleba illa (ah tua quam tamen urit adultera meſſis)
Eſſet Idumæo germine quanta parens! *(tris!*
Quantus ibi & quantæ premeret Puer ubera Ma-
Nec cœlos vultu diſſimulante ſuos.
Ejus in iſto oculi ſatis eſſent ſydera verſu;
Sydereo matris quàm bene tuta ſinu!
Matris ut hic ſimiles in collum mitteret ulnas,
Inq́; ſinus niveos pergeret, ore pari!
Vtq́; genis pueri hæc æquis daret oſcula labris!
Et bene cognatis iret in ora roſis!
Quæ Mariæ tam larga meat, quàm diſceret illîc
Vvida ſub pretio gemma tumere ſuo!
Staret ibi ante ſuum lacrymatrix Diva Magiſtrum:
Seu levis aura volet, ſeu gravis unda cadat;
Luminis hæc ſoboles, & proles pyxidis illa,
Pulchriùs unda cadat, ſuaviùs aura volet.
Quicquid in his ſordet demum, luceret in illis.
Improbe, nec ſatìs eſt hunc tamen eſſe tuum?
Improbe cede puer: quid enim mea carmina mulces?
Carmina de jaculis muta futura tuis.
Cede puer, quà te petulantis fræna puellæ;
Turpia quà revocant penſa procacis heræ;
Quà miſeri malè pulchra nitent mendacia limi;
Quà ceruſſatæ, furta decora, genæ;
Quà mirere roſas, alieni ſydera veris;
Quas nivis haud propriæ bruma redempta domat.

Cede

Cede puer (dixi, & dico) cede improba mater:
Altera Cypris habet nos; habet alter Amor.
Scilicet hîc Amor eſt. Hîc eſt quoque mater Amoris.
Sed mater virgo. Sed neque cæcus Amor.
O puer! ô Domine! ô magnæ reverentia matris!
Alme tui ſtupor & relligio gremii!
O Amor, innocuæ cui ſunt pia jura pharetræ;
Nec niſi de caſto corde ſagitta calens!
Me, puer, ô certâ, quem figis, fige ſagittâ.
O tua de me ſit facta pharetra levis.
Quódque illinc ſitit & bibit, & bibit & ſitit uſqué;
Vſquè meum ſitiat pectus, & uſquè bibat.
Fige, puer, corda hæc. Seu ſpinis exiguus quis,
Seu clavi aut haſtæ cuſpide magnus ades;
Seu major cruce cum totâ; ſeu maximus ipſo
Te corda hæc figis denique. Fige puer.
O metam hanc tuus æternum inclamaverit arcus:
Stridat in hanc teli denſior aura tui.
O tibi ſi jaculum ferat ala ferocior ullum,
Hanc habeat triti vulneris ire viam.
Quíque tuæ populus cunque eſt, quæ turba, pharetræ;
Hic bene vulnificas nidus habebit aves.
O mihi ſis bello ſemper tam ſævus in iſto!
Pectus in hoc nunquam mitior hoſtis eas.
Quippe ego quàm jaceam pugnâ bene ſparſus in illâ!
Quàm bene ſic lacero pectore ſanus ero!
Hæc mea vota. Mei ſunt hæc quoque vota libelli.
Hæc tua ſint Lector; ſi meus eſſe voles.

Si

Si meus eſſe voles; meus ut ſis, lumina (Lector)
Caſta, ſed ô nimiùm non tibi ſicca precor.
Nam tibi ſac madidis meus ille occurrerit alis,
(Sanguine, ſeu lacrymâ diffluat ille ſuâ:)
Stipite totus hians, clavíſque reclusus & haſtâ:
Fons tuus in fluvios deſidioſus erit?
Si tibi ſanguineo meus hic tener iverit amne,
Túne tuas illi, dure, negabis aquas?
Ah durus! quicunque meos, niſi ſiccus, amores
Nolit; & hic lacrymæ rem neget eſſe ſuæ.
Sæpe hic Magdalinas vel aquas vel amaverit undas;
Credo nec Aſſyrias mens tua malit opes.
Scilicet ille tuos ignis recaleſcet ad ignes;
Forſan & illa tuis unda natabit aquis.
Hîc eris ad cunas, & odoros funere manes:
Hinc ignes naſci teſtis, & indè meos.
Hîc mecum, & cum matre ſua, mea gaudia quæres:
Maturus Procerum ſeu ſtupor eſſe velit;
Sive per antra ſui lateat (tunc templa) ſepulchri:
Tertia lux reducem (lenta ſed illa) dabit.
Sint fidæ precor ah (dices) faciléſque tenebræ;
Lux mea dum noctis (res nova!) poſcit opem.
Denique charta meo quicquid mea dicat amori,
Illi quo metuat cunque, fleátve, modo,
Læta parùm (dices) hæc, ſed neque dulcia non ſunt:
Certè & amor (dices) hujus amandus erat.

SI nimium hîc promitti tibi videtur, Lector bone, pro eo cui ſatisfaciendo libellus iſte futurus fuerit; ſcias me in iſtis

non

non ad hæc modò ſpectare quæ hîc habes, ſed ea etiam quæ olim (hæc interim fovendo) habere poteris. Nolui enim (ſi hactenus deeſſe amicis meis non potui, flagitantibus à me, etiam cum diſpendii ſui periculo, paterer eos experiri te in tantum favorémque tuum) nolui, inquam, faſtidio tuo indulgere. Satis hîc habes quod vel releges ad ferulam ſuam (neque enim maturiores ſibi annos ex his aliqua vendicant) vel ut pignus plurium adultiorúmque in ſinu tuo reponas. Elige tibi ex his utrumvis. Me interim quod attinet, finis meus non fefellit. Maximum meæ ambitionis ſcopum jamdudum attigi: tunc nimirum cùm qualecunque hoc meum penè infantis Muſæ murmur ad aures iſtas non ingratum ſonuit, quibus neque doctiores mihi de publico timere habeo, nec ſperare clementiores; adeò ut de tuo jam plauſu (dicam ingenuè & breviter) neque ſecurus ſim ultrà neque ſolicitus. Prius tui, quiſquis es Lector, apud me reverentia prohibet; de cujus judicio omnia poſſum magna ſperare: poſterius illorum reverentia non ſinit, de quorum perſpicacitate maxima omnia non poſſum mihi non perſuadere. Quanquam ô quàm velim tanti me eſſe in quo patria mea morem iſtum ſuum deponere velit, genio ſuo tam non dignum; iſtum ſcilicet quo, ſuis omnibus faſtiditis, eà exoſculatur unicè, quibus trajeciſſe Alpes & de tranſmarino eſſe, in pretium ceſſit! Sed relictis hiſce nimis improbæ ſpei votis, convertam me ad magiſtros Acygnianos; quos ſcio de noviſſimis meis verbis (quanquam neminem nominârim) iratos me reliquiſſe: bilem verò componant; & mihi ſe hoc debere (ambitioſo juveni verbum tam magnum ignoſcant) debere, inquam, fateantur: quòd nimirum in tam nobili argumento, in quo neque ad fœtida de ſuis Sanctis figmenta, neque ad putidas de noſtris calumnias opus habeant confugere, de tenui hoc meo dederim illorum magnitudini unde emineat. Emineat verò; (ſerius dico) Sciántque me ſemper ſe habituros eſſe ſub ea, quam mihi eorum lux major affuderit, umbrâ, placidiſſimè requieſcentem.

non ad hæc modò ſpectare quæ hic habes; ſed cæteram etiā gloriam (quam interim fovendo) habere poteris. Neque enim (ſi ſucceſſus deeſſe [illegible] non [illegible], [illegible] a ma[illegible] eam [illegible] in [illegible], [illegible] experi[illegible] tamquam favoremque [illegible]) nulla [illegible], [illegible] in[illegible]dulgere. Satis ſit habere quod vel [illegible] ſeculum [illegible] (neque enim maturiores [illegible] aliqua [illegible]) vel ut pignus plurium [illegible], ut [illegible] Elige tibi ex his [illegible]. Me [illegible] animus meus non fefellit. Maximum meæ [illegible] tempus dubium [illegible]: tunc nimirum cum [illegible] hoc [illegible] penè [illegible] non [illegible] ſoum, quibus neque [illegible] mihi [illegible] nec [illegible] clem[illegible] de [illegible] in [illegible] ([illegible] ingenuè & breviter) neque ſecumus [illegible] neque [illegible]. Prius tibi, qui [illegible] es Lector, apud me [illegible], de cujus judicio omnia poſſum magna ſperare; [illegible] illorum [illegible] non ſunt, de quorum perſpicacitate maximè omnia non poſſum mihi non perſuadere. Quamquam ſi quam [illegible] ſed eſſe in quo [illegible] ſuum deponere velit, [illegible] [illegible] [illegible] quo ſuis omnibus [illegible], ea exoſculetur [illegible], quibus trajeciſſe Alpes & de tranſmarino eſſe, in pretium ceſſit! Sed relictis [illegible] [illegible], converſam me ad magiſtros [illegible]; quos [illegible] de [illegible] meis verbis (quanquam neminem nominârim) [illegible] bilem verò componant; & [illegible] hoc [illegible] veni verbum tam magnum ignoſcant) [illegible], [illegible] [illegible]tantur: quod nimirum in tam nobili argumento, in quo neque ad [illegible] de ſuis Sanctis figmenta, neque ad [illegible] noſtris calumnias opus [illegible] [illegible] dedecus illorum [illegible] [illegible]. [illegible] verò; (ſerius dico) Sciantque me ſemper [illegible] eſſe [illegible], quam mihi eorum lux major [illegible], [illegible] [illegible] æquitatem.

EPIGRAMMATA SACRA.

Luc. 18.

Phariſæus & Publicanus.

EN duo Templum adeunt (diverſis mentibus ambo:)
Ille procul trepido lumine ſignat humum:
It gravis hic, & in alta ferox penetralia tendit.
Plus habet hic templi; *plus habet ille* Dei.

Matth. 21. 7.

In Aſinum Chriſti vectorem.

** ILle ſuum didicit quondam objurgare magiſtrum:*
Et quid ni diſcas tu celebrare tuum?
Mirum non minùs eſt, te jam potuiſſe tacere,
Illum quàm fuerat tum potuiſſe loqui.

* BALAAMI Aſinus.

Luc. 4.

Dominus apud ſuos vilis.

EN conſanguinei! patriis en exul in oris
Chriſtus! & haud alibi tam peregrinus erat.
Qui ſocio demum pendebat ſanguine latro,
O conſanguineus *quàm fuit ille magis!*

Joann. 5.

Ad Betheſdæ piſcinam poſitus.

QUis novus hic refugis incumbit Tantalus undis,
Quem fallit toties tam fugitiva ſalus?

Unde hoc naufragium felix? medicæq; procellæ?
Vitáque, tempeſtas quam pretioſa dedit?

Joann. 20.

Chriſtus ad Thomam.

SÆva fides! voluiſſe meos tractare dolores?
Crudeles digiti! ſic didiciſſe Deum?

Vulnera, nè dubites, *vis tangere noſtra: ſed eheu,*
Vulnera, dum dubitas, *tu graviora facis.*

MATTH. 16. 25.

Quiſquis perdiderit animam ſuam meâ cauſâ, inveniet eam.

I *Vita; I, perdam: mihi mors tua, Chriſte, reperta eſt:*
(Mors tua vita mea eſt; mors tibi, vita mea)

Aut ego te abſcondam Chriſti (mea Vita) ſepulchro.
Non adeò procul eſt tertius ille dies.

JOANN. 20. I.

Primo mane venit ad ſepulchrum MAGDALENA.

T*U matutinos prævertis, ſancta, rubores,*
Magdala; ſed jam tum Sol tuus ortus erat.

Jámque vetus meritò vanos Sol non agit ortus,
Et tanti radios non putat eſſe ſuos.

Quippe aliquo (reor) ille, novus, jam nictat in aſtro,
Et ſe nocturnâ parvus habet faculâ.

Quàm velit ô tantæ vel nuntius eſſe diei!
Atque novus Soli Lucifer *ire novo!*

Joann. 6.

Quinque panes ad quinque hominum millia.

EN menſæ faciles, redivivàque vulnera cœnæ,
Quæq; indefeſſâ provocat ora dape!

Aucta Ceres ſtupet arcanâ ſe creſcere meſſe.
Denique quid reſtat? Paſcitur ipſe cibus.

Act. 8.

Æthiops lotus.

ILle niger *ſacris exit (quàm lautus!) ab undis:*
Nec fruſtra Æthiopem *nempe* lavare *fuit.*

Mentem quàm niveam piceæ cutis umbra fovebit!
Jam volet & nigros ſancta Columba lares.

Luc. 18. 13.

Publicanus procul ſtans percutiebat pectus ſuum.

ECce hic peccator timidus petit advena templum;
Quódque audet ſolum, pectora mœſta ferit.

Fide miſer; pulſáque fores has fortiter: illo
Invenies templo *tu* propiore *Deum.*

Marc.

Marc. 12. 44.

Obolum Viduæ.

G*Utta brevis nummi (vitæ patrona ſenilis)*
E digitis ſtillat non dubitantis anûs:

Iſtis multa vagi ſpumant de gurgite cenſus.
Iſti abjecerunt *ſcilicet*; *Illa* dedit.

Luc. 10. 39.

Maria verò aſſidens ad pedes ejus, audiebat eum.

A*Spice (namq; novum eſt) ut ab hoſpite pendeat ho-*
Huic ori parat; hoc ſumit ab ore cibos. (ſpes!

Túne epulis adeò es (ſoror) officioſa juvandis,
Et ſinis has (inquit) Martha, *perire dapes?*

Act. 2.

In Spiritûs ſancti Deſcenſum.

F*Erte ſinus, ô ferte: cadit* vindemia cœli;
Sanctáque ab æthereis volvitur uva jugis.

Felices nimiùm, queîs tam bona muſta bibuntur;
In quorum gremium lucida pergit hyems!

En caput! en ut nectareo micat & micat aſtro!
Gaudet & in roſeis viva corona comis!

Illis (ô Superi! quis ſic neget ebrïus eſſe?)
Illis, nè titubent, dant ſua vina faces.

Luc. 15.13.

Congeſtis omnibus peregrè profectus eſt.

D*Ic mihi, quò tantos properas, puer auree, num-*
Quorſum feſtinæ conglomerantur opes? (mos?

Cur tibi tota vagos ructant patrimonia cenſus?
Non poterunt ſiliquæ nempe minoris emi?

Act. 21.13.

Non ſolùm vinciri ſed & mori paratus ſum.

N*On modò vincla, ſed & mortem tibi, Chriſte,*
Paulus ait, docti callidus arte doli. (ſubibo,

Diceret hoc aliter: Tibi non modò velle ligari,
Chriſte, ſed & * ſolvi *nempe paratus ero.*

* Phil. 1.23. τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι.

ACT. 12.23.

In Herodem σκωληκόβρωτον.

ILle Deus, Deus: *hæc populi vox unica: tantùm*
(Vile genus) vermes credere velle negant.

At citò ſe miſeri, citò nunc erráſſe fatentur;
Carnes deguſtant, Ambroſiámque *putant.*

MATTH. 14.

Videns ventum magnum, timuit, & cùm cœpiſſet demergi, clamavit, &c.

P*Etre, cades, ô, ſi dubitas: ô fide: nec ipſum*
(Petre) negat fidis æquor habere fidem.

Pondere *preſſa ſuo ſubſidunt cætera: ſolum*
(Petre) tuæ mergit te levitatis onus.

ACT. 8.18.

Obtulit eis pecunias.

Q*Vorſum hos hîc nummos profers? quorſum, impie (Simon?*
Non ille hîc Judas, *ſed tibi* Petrus *adeſt.*

Vis emiſſe Deum? *potiùs (precor) hoc age, Simon,*
Si potes, ipſe priùs dæmona vende tuum.

ACT. 5. 15.

Umbra S. Petri medetur ægrotis.

C*Onveniunt alacres*(ſic,ſic juvat ire ſub umbras)
Atque umbras *fieri (creditis?)* umbra *vetat.*
O Petri umbra potens! quæ non miracula præſtat?
Nunc quoque, Papa, tuum ſuſtinet illa decus.

MARC. 7. 33, 36.

Tetigit linguam ejus, &c.— & loquebatur-—
-& præcepit illis nè cui dicerent: illi verò
eò magìs prædicabant.

C*Hriſte, jubes muta ora loqui; muta ora loquun-*
Sana tacere jubes ora; nec illa tacent. (tur:
Si digito *tunc uſus eras, muta ora reſolvens;*
Nónne opus eſt totâ *nunc tibi, Chriſte,* manu?

LUC. 10. 32.

Sacerdos quidam deſcendens eâdem viâ,
vidit & præteriit.

S*Pectáſne (ah!) placidíſque oculis mea vulnera*
O dolor! ô noſtris vulnera vulneribus! (tractas?
Pax oris quàm torva tui eſt! quàm triſte ſerenum!
Tranquillus miſerum qui videt, ipſe facit.

Luc.

Luc. 17.
Leproſi ingrati.

D*Um linquunt Chriſtum (ah morbus!) ſanantur euntes:*
Ipſe etiam morbus *ſic medicina fuit.*

At ſani Chriſtum (mens ah maleſana!) relinquunt:
Ipſa etiam morbus ſic medicina *fuit.*

Matth. 6. 34.
Nè ſoliciti eſtote in craſtinum.

I *Miſer, inque tuas rape non tua tempora curas:*
Et nondum natis perge perire malis.

Mî querulis ſatìs una dies, ſatìs angitur horis:
Una dies lacrymis mî ſatìs uda ſuis.

Non mihi venturos vacat expectare dolores:
Nolo ego, nolo hodie craſtinus eſſe miſer.

Matth. 9. 9.
A telonio Matthæus.

A*H ſatìs, ah nimis eſt: noli ultrà ferre magiſtrum,*
Et lucro domino turpia colla dare.

Jam fuge; jam (Matthæe) feri fuge regna tyranni:
*Inq; bonam felix i fugitive ** crucem.

* CHRISTI ſcilicet.

Luc. 7.

Viduæ filius è feretro matri redditur.

E*N redeunt, lacrymáſq; breves nova gaudia pen-*
Biſq; illa eſt, uno in pignore, facta parens. (ſant:

Felix, quæ magìs es nati per funera mater!
Amiſiſſe, *iterum cui* peperiſſe *fuit.*

Matth. 18.

Bonum intrare in cœlos cum uno oculo, &c.

UNo oculo? *ah centum potiùs mihi, millia centum:*
Nam quis ibi, in cœlo, quis ſatìs Argus *erit?*

Aut ſi oculus mihi tantùm unus conceditur, unus
Iſte oculus fiam totus *&* omnis ego.

Luc. 14.

Hydropicus ſanatur.

I*Pſe ſuum pelagus, morbóque immerſus aquoſo*
Qui fuit, ut lætus nunc micat atque levis!

Quippe in vina iterum Chriſtus (puto) tranſtulit un-
Et nunc iſte ſuis ebrius eſt ab aquis. *(das;*

Luc. 2. 7.

Non erat iis in diverſorio locus.

I*Lli non locus eſt? Illum ergò pellitis? Illum?*
Ille Deus, *quem ſic pellitis; ille* Deus.

O furor! humani miracula ſæva furoris!
Illi non locus eſt, quo ſine nec locus eſt.

Luc. 16.

In lacrymas Lazari ſpretas à Divite.

F*Elix ô! lacrymis (ô Lazare) ditior iſtis,*
Quàm qui purpureas it gravis inter opes!

Illum cùm rutili nova purpura veſtiet ignis,
Ille tuas lacrymas quàm volet eſſe ſuas!

Matth. 26. 65.

Indignatur Caiphas Chriſto ſe confitenti.

T*U Chriſtum, Chriſtum quòd non negat eſſe, lacessis:*
Ipſius hoc crimen, quod fuit ipſe, *fuit.*

Téne Sacerdotem credam? Novus ille Sacerdos,
Per quem impunè Deo non licet eſſe Deum.

Joann. 12. 37.

Cùm tot ſigna edidiſſet, non credebant in eum.

NOn tibi, Chriſte, fidem tua tot miracula præſtant:
(O verbi, ô dextræ dulcia regna tuæ!)

Non præſtant? neque te poſt tot miracula credunt?
Mirac'lum, qui non credidit, ipſe fuit.

Marc. 1. 16.

Ad S. Andream piſcatorem.

QVippe potes pulchrè captare & fallere piſces!
Centum illîc diſcis lubricus ire dolis.

Heus bone piſcator! tendit ſua retia Chriſtus:
Artem inverte, et jam tu quoque diſce capi.

Joann. 1. 23.

Ego ſum vox, &c.

VOx ego ſum, *dicis: tu vox es, ſancte Joannes?*
Si vox *es, genitor cur tibi* mutus *erat?*

Iſta tui fuerant quàm mira ſilentia patris!
Vocem *non habuit tunc quoque cùm genuit.*

Act. 12.

Vincula ſponte decidunt.

QVi ferro Petrum cumulas, duriſſime cuſtos,
A ferro diſces mollior eſſe tuo.

Ecce fluit, nodiſque ſuis evolvitur ultro:
I fatue, & vinc'lis vincula pone tuis.

In diem omnium Sanctorum.

Rev. 7. 3.

Nè lædite terram, neque mare, neque arbores, quouſque obſignaverimus ſervos Dei noſtri in frontibus ſuis.

NVſquã immitis agat ventus ſua murmura; nuſquã
Sylva tremat, criſpis ſollicitata comis.

Æqua Thetis placidè allabens ferat oſcula Terræ;
Terra ſuos Thetidi pandat amica ſinus:

Vndique Pax effuſa piis volet aurea pennis,
Frons bona dum ſigno eſt quæque notata ſuo.

Ah quid in hoc opus eſt ſignis aliunde petendis?
Frons bona ſat lacrymis quæque notata ſuis.

In die Conjurationis ſulphureæ.

Quàm bene diſpoſitis annus dat currere feſtis!
Poſt Omnes Sanctos, Omne ſcelus *ſequitur.*

Deus ſub utero virginis.

Ecce tuus, Natura, pater! pater hic tuus, hic eſt:
Ille, uterus matris quem tenet, ille pater.

Pellibus exiguis arctatur Filius ingens,
Quem tu non totum (*crede*) *nec ipſa* capis.

Quanta uteri, Regina, tui reverentia tecum eſt,
Dum jacet hîc, cœlo ſub breviore, Deus!

Conſcia divino gliſcunt præcordia motu
(Nec vehit æthereos ſanctior aura polos)

Quàm bene ſub tecto tibi concipiuntur eodem
Vota, & (vota cui concipienda) Deus!

Quod nubes aliæ, & tanti ſuper atria cœli
Quærunt, invenient hoc tua vota domi.

O felix anima hæc, quæ tam ſua gaudia tangit!
Sub conclave ſuo cui ſuus ignis adeſt.

Corpus amet (licet) illa ſuum, neque ſydera malit:
Quod vinc'lum eſt aliis, hoc habet illa domum.

Sola jaces, neque ſola; toro quocunque recumbis,
Illo eſtis poſiti túque tuúsque toro.

Immo ubi caſta tuo poſita es cum conjuge conjunx,
(Quod mirum magìs eſt) es tuus ipſa torus.

Act. 7. 16.

Ad Judæos mactatores Stephani.

FRuſtra illum increpitant, fruſtra vaga ſaxa: nec
Grandinis (heu ſævæ!) dura procella nocet. (*illi*

Iſta poteſt tolerare; poteſt neſcire: ſed illi,
Quæ ſunt in veſtro pectore, ſaxa nocent.

Rev. 1. 9.

D. Joannes in exilio.

E*Xul*, Amor Chriſti *eſt: Chriſtum tamen invenit*
Et ſolitos illîc invenit ille ſinus. (*exul:*

Ah longo, æterno ah terras indicite nobis
Exilio, Chriſti ſi ſinus exilium eſt.

Matth. 2.

Ad Infantes Martyres.

FUndite ridentes animas; effundite cœlo:
Diſcet ibi veſtra (ô quàm bene!) lingua loqui.

Nec vos lac veſtrum & maternos quærite fontes:
Qua vos expectat lactea *tota* via *eſt.*

Luc. 2.

Quærit Jeſum ſuum beata Virgo.

A*H, redeas miſeræ, redeas (puer alme) parenti;*
Ah, neque te cœlis tam citò redde tuis.

Cœlum *noſtra tuum fuerint ô brachia, ſi te*
Noſtra ſuum poterunt brachia ferre Deum.

Matth. 8.

Non ſum dignus ut ſub tecta mea venias.

I*N tua tecta Deus veniet: tuus haud ſinit illud*
Et pudor, atque humili in pectore celſa fides.

Illum ergò accipies quoniam non accipis: *ergò*
In te *jam veniet, non* tua tecta, *Deus.*

Matth. 27. 12.

Chriſtus accuſatus nihil reſpondit.

NIl ait: *ô ſanctæ pretioſa ſilentia linguæ!*
Ponderis ô quanti res nihil *illud erat!*

Ille olim, verbum *qui* dixit, *&* *omnia* fecit,
Verbum non dicens *omnia nunc* reficit.

Luc. 2.

Nunc dimittis.

SPéſne meas tandem ergò mei tenuère lacerti?
Ergò bibunt oculos lumina noſtra tuos?

Ergò bibant; poſsíntque novam ſperare juventam:
O poſſint ſenii non meminiſſe ſui!

Immo mihi potiùs mitem mors induat umbram
(Eſſe ſub his oculis ſi tamen umbra poteſt)

Ah ſatis eſt. Ego te vidi (puer auree) vidi:
Nil poſt te, niſi te (Chriſte) videre volo.

Luc. 8.

Verbum inter ſpinas.

SÆpè Dei verbum ſentes cadit inter; & atrum
Miſcet ſpina procax (ah malè juncta!) latus.

Credo quidem: nam ſic ſpinas ah ſcilicet inter
Ipſe Deus Verbum tu quoque (Chriſte) cadis.

Luc. 14. 5.

Sabbatum { Judaicum, & Chriſtianum.

*R*Es eadem vario quantum diſtinguitur uſu!
Noſtra hominē *ſervant ſabbata; veſtra* bovē.

Obſervent igitur (pacto quid juſtius iſto?)
Sabbata noſtra homines, *ſabbata veſtra* boves.

Matth. 10. 52.

Ad verbum Dei ſanatur cæcus.

CHriſte, loquutus eras (ô ſacra licentia verbi!)
Jámque novus cæci fluxit in ora dies.

Jam, credo, * Nemo eſt, ſicut Tu, *Chriſte,* loquutus:
Auribus? immo oculis, *Chriſte, loquutus eras.*

* Joann. 7. 46.

Matth. 11.

Onus meum leve eſt.

ESſe levis quicunque voles, onus accipe Chriſti:
Ala tuis humeris, non onus, illud erit.

Chriſti onus an quæris quàm eſt grave? ſcilicet, audi,
Tam grave, ut ad ſummos te premat uſque polos.

JOANN. 6.

Miraculum quinque panum.

ECce vagi venit unda cibi; venit indole ſacrâ
Fortis, & in dentes fertilis innumeros.

Quando erat invictæ tam ſancta licentia cœnæ?
Illa famem *populi paſcit, & illa* fidem.

JOANN. 8. 52.

Nunc ſcimus te habere dæmonium.

AUt Deus, aut ſaltem dæmon tibi notior eſſet,
(Gens mala) quæ dicis dæmona habere Deum.

Ignorâſſe Deum poteras, ô cæca: ſed oro,
Et patrem poteras tam malè nôſſe tuum?

In beatæ Virginis verecundiam.

IN gremio, quæris, cur ſic ſua lumina Virgo
Ponat? ubi meliùs poneret illa, precor?

O ubi, quàm cœlo, meliùs ſua lumina ponat?
Deſpicit, at cœlum ſic tamen illa videt.

In vulnera Dei pendentis.

O *Frontis, lateris, manuúmq; pedûmque cruores!*
O quæ purpureo flumina fonte patent!

In noſtrâm (ut quondam) pes non valet ire ſalutem,
Sed natat; in fluviis (ah!) natat ille ſuis.

Fixa manus; dat, fixa: *pios bona dextera rores*
Donat, & in donum ſolvitur ipſa ſuum.

O latus, ô torrens! quis enim torrentior exit
Nilus, ubi pronis præcipitatur aquis?

Mille & mille ſimul cadit & cadit undique guttis
Frons: viden' ut ſævus purpuret ora pudor?

Spinæ hôc irriguæ florent crudeliter imbre,
Inq; novas ſperant protinus ire roſas.

Quiſque capillus it exiguo tener alveus amne,
Hôc quaſi de rubro *rivulus* oceano.

O nimiùm vivæ *pretioſis amnibus* undæ!
Fons vitæ *nunquam verior ille fuit.*

MATTH. 9. 11.

Quare cum Publicanis manducat Magiſter veſter?

E*Rgò* iſtis *ſocium ſe peccatoribus addit?*
Ergò iſtis *ſacrum non negat ille latus?*

Tu, Phariſæe, rogas Jeſus cur fecerit iſtud?
Næ dicam: Jeſus, *non* Phariſæus, *erat.*

MATTH. 28.

Ecce locus ubi jacuit Dominus.

IPſum, Ipſum (*precor*) *ô potiùs mihi* (*candide*) *mon-*
Ipſi, Ipſi, *ô lacrymis oro ſit ire meis.* (*ſtra:*

Si monſtrare locum *ſatis eſt, & dicere nobis,*
En, Maria, hîc tuus en, hîc jacuit Dominus;

Ipſa ulnas monſtrare meas, & dicere poſſum,
En, Maria, hîc tuus en, hîc jacuit Dominus.

LUC. 17.

Leproſi ingrati.

L*Ex jubet ex hominum cœtu procul ire* leproſos:
At mundi *à Chriſto cur abiêre procul?*

Non abit, at ſedes tantùm mutavit in illis;
Et lepra, quæ fuerat corpore, mente ſedet.

Sic igitur dignâ vice res variatur; & à ſe
Quàm procul antè homines, nunc habuêre Deum.

Joann. 20.

In cicatrices quas Chriſtus habet in ſe adhuc ſuperſtites.

Q*Vicquid* ſpina *procax, vel ſtylo* clavus *acuto,*
Quicquid purpureâ ſcripſerat haſta *notâ,*

Vivit adhuc tecum: ſed jam tua vulnera non ſunt:
Non, ſed vulneribus ſunt medicina meis.

Act. 5.

Æger implorat umbram D. Petri.

P*Etre, tua lateam pauliſper (Petre) ſub umbra:*
Sic mea me quærent fata, nec invenient.

Umbra dabit tua poſſe meum me cernere ſolem;
Et mea lux umbra ſic erit umbra tua.

Luc. 24. 39.

Quid turbati eſtis? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum.

EN me, & ſigna mei, quondam mea vulnera! certè,
Vos niſi credetis, vulnera ſunt & adhuc.

O nunc ergò fidem ſanent mea vulnera veſtram:
O mea nunc ſanet vulnera veſtra fides.

Act. 12.

In vincula Petro ſponte delapſa, & apertas fores.

FErri non meminit ferrum: ſe vincula Petro
Diſſimulant: neſcit carcer habere fores.

Quàm bene liber erit, carcer quem liberat! *ipſa*
Vincula quem ſolvunt, *quàm bene tutus erit!*

Act. 19. 12.

Deferebantur à corpore ejus ſudaria, &c.

IMperioſa premunt morbos, & ferrea fati
Jura ligant, Pauli lintea tacta manu.

Unde hæc felicis laus eſt & gloria lini?
Hæc (reor) è Lacheſis *penſa fuêre* colo.

Joann. 15.

Chriſtus Vitis ad Vinitorem Patrem.

EN ſerpit tua, purpureo tua palmite vitis
Serpit, & (ah!) ſpretis it per humum foliis.

Tu viti ſuccurre tuæ, mi Vinitor ingens:
Da fulcrum; fulcrum da mihi: quale? crucem.

Act. 26. 28.

Penè perſuades mihi ut fiam Chriſtianus.

PEnè? *quid hoc* penè *eſt? Vicinia ſæva ſalutis!*
O quàm tu malus es proximitate boni!

Ah! portu qui teſte perit, bis naufragus ille eſt;
Hunc non tam pelagus, quàm ſua terra premit.

Quæ nobis ſpes vix *abſunt*, crudeliùs *abſunt:*
Penè fui felix, *Emphaſis eſt miſeri.*

Joann. 3. 19.

Lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines magìs tenebras quàm lucem.

LUce ſuâ venit ecce Deus, mundóque reſulget;
Pergit adhuc tenebras mundus amare ſuas.

At Stygiis igitur mundus damnabitur umbris:
Pergit adhuc tenebras mundus amare ſuas?

Luc. 16.

Dives implorat guttam.

O *Mihi ſi digito tremat & tremat unica ſummo*
Gutta! ô ſi flammas mulceat una meas!

Currat opum quocunque volet levis unda mearum:
Una mihi hæc detur gemmula, Dives ero.

Joann. 3. 4.

Quomodo poteſt homo gigni qui eſt ſenex?

D*Ic, Phœnix unde in nitidos novus emicat annos;*
Plaudit & eluſos aurea penna rogos?

Quis colubrum dolus inſinuat per ſecula retro,
Et jubet emeritum luxuriare latus?

Cur roſtro pereunte ſuam prædata ſenectam
Torva ales, rapido plus legit ore diem?

Immo,

Immo, ſed ad nixus quæ ſtat Lucina ſecundos?
Natales ſeros unde ſenex habeat.

Ignoras, Phariſæe? ſat eſt: jam credere diſces:
Dimidium fidei, qui bene neſcit, habet.

MARC. II. 13.

Arbor Chriſti juſſu areſcens.

ILle jubet: *procul ite mei, mea gloria, rami:*
Nulla vocet noſtras ampliùs aura comas.

Ite; nec ô pigeat: nam vos neque fulminis ira,
Nec trucis ala Noti verberat: Ille jubet.

O vox! ô Zephyro vel ſic quoque dulcior omni!
Non poſſum Autumno nobiliore frui.

LUC. I. 12.

Zacharias minùs credens.

I*Nfantis fore te patrem, res mira videtur;*
Infans interea factus es ipſe pater.

Et dum promiſſi ſignum (*nimis anxie*) *quæris,*
Jam niſi per ſignum *quærere nulla potes.*

Joann. 3.

In aquam baptiſmi Dominici.

F*elix ô, ſacros cui ſic licet ire per artus!*
Felix! dum lavat hunc, ipſa lavatur aqua.

Gutta quidem ſacros quæcunque perambulat artus,
Dum manet hîc, gēma eſt; dum cadit hinc, lacryma.

Luc. 13. 11.

Mulieri incurvatæ medetur Dominus, indignante Archiſynagogo.

I*N proprios replicata ſinus quæ repſerat, & jam*
Dæmonis (*infelix!*) *nil niſi* nodus *erat,*

Solvitur ad digitum Domini: ſed ſtrictior illo
Unicus eſt nodus; cor, Phariſæe, tuum.

Matth. 22. 46.

Neque auſus fuit quiſquam ex illo die eum ampliùs interrogare.

C*Hriſte, malas fraudes, Phariſaica retia, fallis:*
Et miſeros ſacro diſcutis ore dolos.

Ergò tacent *tandem, atque invita ſilentia ſervant:*
Tam bene non aliter te potuêre loqui.

MATTH. 20. 20.

S. Joannes matri ſuæ.

O *Mihi cur* dextram, *mater, cur, oro,* ſiniſtram
Poſcis, ab officio mater iniqua tuo?

Nolo manum *Chriſti* dextram *mihi, nolo* ſiniſtram:
Tam procul à ſacro non libet eſſe ſinu.

MATTH. 4.

Si Filius Dei es, dejice te.

N*I ſe dejiciat Chriſtus de vertice Templi,*
Non credes quòd ſit Filius ille Dei.

At mox te humano de pectore dejicit: heus tu,
Non credes quòd ſit Filius ille Dei?

LUC. 19. 41.

Dominus flens ad Judæos.

D*Iſcite vos miſeri, venientes diſcite flammas;*
Nec facite ò lacrymas ſic periiſſe meas.

Nec periiſſe tamen poterunt: mihi credite, veſtras
Vel reprimet flammas hæc aqua, vel faciet.

Luc. 18. 11.

Nec velut hic Publicanus.

I Stum? *vile caput! quantum mihi gratulor, inquis,*
Iſtum quòd novi tam mihi diſſimilem!

Vilis at iſte *abiit ſacris acceptior aris:*
I nunc, & jactes hunc tibi diſſimilem.

Act. 9. 3.

In Saulum fulgore nimio excæcatum.

Q*Væ lucis tenebræ? quæ nox eſt iſta diei?*
Nox nova, quam nimii luminis umbra facit!

An Saulus fuerit cæcus, vix dicere poſſum;
Hoc ſcio, quòd captus lumine *Saulus erat.*

Luc. 10. 23.

Beati oculi qui vident.

C*Vm Chriſtus noſtris ibat mitiſſimus oris,*
Atque novum cæcos juſſit habere diem,

Felices, oculos qui tunc habuêre, vocantur?
Felices, & qui non habuêre, voco.

Luc. 7. 15.

Filius è feretro matri redditur.

ERgóne tam ſubitâ potuit vice flebilis horror
In natalitia candidus ire toga?

Quos vidi, matris gemitus hos eſſe dolentis
Credideram; gemitus parturientis *erant.*

Matth. 11. 25.

In ſeculi ſapientes.

ERgóne delitias facit, & ſibi plaudit ab alto
Stultitia, ut velit hâc ambitione peti?

Difficiliſne adeò facta eſt, & ſeria tandem?
Ergò & in hanc etiam quis ſapuiſſe *poteſt?*

Tantum erat, ut poſſit tibi doctior eſſe ruina?
Tanti igitur cerebri res, periiſſe, fuit?

Nil opus ingenio; nihil hâc opus Arte furoris*:*
Simpliciùs poteris ſcilicet eſſe miſer.

Luc. 4. 29.

In Judæos Chriſtum præcipitare conantes.

DIcite, quæ tanta eſt ſceleris fiducia veſtri?
Quod nequiit dæmon, id voluiſſe ſcelus?

Quod nequiit dæmon ſcelus, id voluiſſe patrare!
Hoc tentare ipſum dæmona (*credo*) *fuit.*

Rev. 7. 9.

In Draconem præcipitem.

I Fruſtra truculente; tuas procul aurea ridem
Aſtra minas, cœlo jam bene tuta ſuo.

Túne igitur cœlum ſuper ire atque aſtra parabas?
Aſcenſu tanto non opus ad barathrum.

Luc. 2.

Beatæ Virgini credenti.

MIraris (quid enim faceres?) ſed & hæc quoq; credis:
Hæc uteri credis dulcia monſtra tui.

En fidei, Regina, tuæ digniſſima merces!
Fida Dei fueras filia; mater eris.

Marc. 12.

Licétne Cæſari cenſum dare?

POſt tot Scribarum (Chriſte) in te prælia, tandem
Ipſe venit Cæſar: Cæſar in arma venit.

Pugnant terribiles non Cæſaris enſe, ſed enſe
Cæſare: quin Cæſar vinceris ipſe tamen.

Hoc quoque tu conſcribe tuis, Auguſte, triumphis.
Sic vinci dignus quis niſi Cæſar erat?

Matth. 9.

In tibicines & turbam tumultuantem circa defunctam.

VAni, quid ſtrepitis? nam, quamvis * dormiat *illa,*
Non tamen è ſomno eſt ſic revocanda ſuo.

Expectat ſolos Chriſti ſopor iſte ſuſurros:
Dormit; nec dormit omnibus *illa tamen.*

* Verſ. 24. Non enim mortua eſt puella, ſed dormit.

MATTH. 6. 19.

Piſcatores vocati.

LUdite jam piſces ſecura per æquora: piſces
Nos quoque (ſed varia ſub ratione) ſumus.

Non potuiſſe capi, vobis ſpes una ſalutis:
Una ſalus nobis eſt, potuiſſe capi.

MARC. 12.

Date Cæſari.

CUncta Deo debentur: habet tamen & ſua Cæſar;
Nec minus indè Deo eſt, ſi ſua Cæſar habet.

Non minus indè Deo eſt, ſolio ſi cætera dantur
Cæſareo, Cæſar cùm datur ipſe Deo.

MATTH. 21. 7.

Dominus aſino vehitur.

ILle igitur vilem te, te dignatur aſellum,
O non vecturâ non bene digne tuâ?

Heu quibus haud pugnat Chriſti patientia monſtris?
Hoc, quòd ſic fertur, *hoc quoque* ferre *fuit.*

Luc. 21. 27.

Videbunt Filium hominis venientem in nube.

I*mmo* veni: *aërios (ô Chriſte) accingere currus,*
Inq; triumphali nube coruſcus ades.

Nubem quæris? erunt noſtra (ah!) ſuſpiria nubes:
Aut ſol in nubem ſe dabit ipſe tuam.

Joann. 20.

Niſi digitum immiſero, &c.

I*Mpius ergò iterum clavos? iterum impius haſtam?*
Et totum digitus triſte revolvet opus?

Túne igitur Chriſtum (Thoma) quò vivere *credas,*
Tu Chriſtum faceres (ah truculente!) mori?

Act. 8.

Ad Judæos mactatores S. Stephani.

Q*Vid datis (ah miſeri!) ſaxis nolentibus iras?*
Quid nimis in tragicum præcipitatis opus?

In mortem Stephani ſe dant invita: ſed illi
Occiſo faciunt ſponte ſuâ tumulum.

Sancto Joanni, dilecto diſcipulo.

TU fruere; auguſtóq; ſinu caput abde (quod ô tum
Nollet in æterna ſe poſuiſſe roſa)

Tu fruere: & ſacro dum te ſic pectore *portat,*
O ſat erit tergo *me potuiſſe vehi.*

MATTH. 2.

In lactentes Martyres.

VUlnera natorum qui vidit, & ubera matrum,
Per pueros fluviis (ah!) ſimul ire ſuis;

Sic pueros quiſquis vidit, dubitavit, an illos
Lilia *cœlorum diceret, anne* roſas.

MATTH. I. 23.

Deus nobiſcum.

NObiſcum Deus *eſt? veſtrum hoc eſt (hei mihi!) (veſtrum:*
Vobiſcum Deus *eſt, ô aſini atque boves.*

Nobiſcum non eſt: nam nos domus aurea ſumit:
Nobiſcum Deus eſt, & jacet in ſtabulo?

Hoc igitur noſtrum *ut fiat (dulciſſime Jeſu)*
Nos dandi ſtabulis, *vel tibi danda* domus.

Chriſtus circumciſus ad Patrem.

H*as en primitias noſtræ (Pater) accipe mortis;*
(Vitam ex quo ſumpſi, vivere dedidici)

Ira (Pater) tua de pluviâ guſtaverit iſtâ:
Olim ibit fluviis hoc latus omne ſuis.

Tunc ſitiat licèt & ſitiat, bibet & bibet uſqué:
Tunc poterit toto fonte ſuperba frui.

Nunc haſtæ *interea poſſit præludere* culter:
Indolis in pœnas ſpes erit iſta meæ.

In Epiphaniam Domini.

N*On ſolitâ contenta dies face lucis Eoæ,*
Ecce micat radiis cæſariata novis.

Perſa

Perſa ſagax, propera: diſcurre per ardua Regum
Tecta, per auratas marmoreáſque domus:

Quære ô, quæ intepuit Reginæ purpura partu;
Principe vagitu quæ domus inſonuit.

Audin' Perſa ſagax? Qui tanta negotia cœlo
Fecit, Bethlemiis vagiit in ſtabulis.

Luc. 2. 49.

Ecce quærebamus te, &c.

T*E quæro miſera, & quæro: tu nunc quoque tractas*
Res Patris: Pater *eſt unica cura tibi:*

Quippe quòd ad pœnas tantùm & tot nomina mortis,
Ad luctum & lacrymas (hei mihi!) mater ego.

Joann. 2.

Aquæ in vinum verſæ.

U*Nde rubor veſtris, & non ſua purpura lymphis?*
Quæ roſa mirantes tam nova mutat aquas?

Numen (convivæ) præſens agnoſcite Numen:
Nympha pudica Deum vidit, & erubuit.

MATTH. 8. 13.

Abſenti Centurionis filio Dominus abſens medetur.

QVàm tacitis inopina ſalus illabitur alis!
Alis, quas illi vox tua, Chriſte, dedit.

Quàm longas vox iſta manus habet! hæc medicina
Abſens, & præſens *hæc medicina fuit.*

MARC. 4. 40.

Quid timidi eſtis?

TAnquã illi *inſanus faceret ſua fulmina ventus!*
Tanquam illi *ſcopulos nôrit habere fretum!*

Vos veſtri ſcopuli, vos eſtis ventus & unda:
Naufragium cum illo qui metuit, meruit.

LUC. 2.

Nunc dimittis.

ITe mei (quid enim ulteriùs, quid vultis?) ocelli:
Leniter obductis ite ſuperciliis.

Immo & adhuc & adhuc, iterùmq; iterùmq; videte;
Accipite hæc totis lumina luminibus.

Jàmque

Jámque ite; & tutis ô vos bene claudite vallis:
Servate hæc totis lumina luminibus.

Primum eſt, quòd potui te (Chriſte) videre: ſecun-
Te viſo, rectà jam potuiſſe mori. (dum,

MATTH. 13. 24.

In ſegetem ſacram.

ECce ſuam implorat, demiſſo vertice, falcem:
Tu ſegeti falcem da (Pater alme) ſuam.

Tu falcem non das? meſſem tu (Chriſte) moraris?
Hoc ipſum falx eſt: hæc mora meſſis erit.

LUC. 7. 37.

Cœpit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis extergebat.

UNda ſacras ſordes lambit placidiſſima: flavæ
Lambit & hanc undam lucida flamma comæ.

Illa per has ſordes it purior unda; ſimúlque
Ille per has lucet purior ignis aquas.

Luc. 18.41.

Quid vis tibi faciam?

QUid volo (Chriſte) rogas? quippe ah volo, (Chriſte, videre:
Quippe ah te (dulcis Chriſte) videre volo.

At video; fideique oculis te nunc quoque figo:
Eſt mihi, quæ nunquam eſt non oculata, fides.

Sed quamvìs videam, tamen ah volo (Chriſte) vide- (re:
Sed quoniam video (Chriſte) videre volo.

Matth. 15.21.

Chriſtus mulieri Canaaneæ difficilior.

VT pretium facias dono, donare recuſas:
Uſquè rogat ſupplex, tu tamen uſquè negas.

Hoc etiam donare fuit, donare - negare.
Sæpe dedit, quiſquis ſæpe negata dedit.

Luc. 11.27.

Beatus venter & ubera, &c.

ET quid ſi biberet Jeſus vel ab ubere veſtro?
Quid facit ad veſtram, quòd bibit ille, ſitim?

Ubera mox ſua & Hic (ô quàm non lactea!) pandet:
E nato Mater tum bibet ipſa ſuo.

JOANN. 15. 1.

In Chriſtum Vitem.

Ulmum vitis amat (quippe eſt & in arbore flāma,
Quam fovet in viridi pectore blandus amor:)

Illam ex arboribus cunctis tu (Vitis) *amâſti,*
Illam, quæcunque eſt, quæ crucis arbor *erat.*

JOANN. 16. 20.

Vos flebitis & lamentabimini.

Ergò mihi ſalvete mei, mea gaudia, luctus: (um!
Quàm charum (ô Deus) eſt hoc mihi flere me-

Flerem, ni flerem: Solus tu (dulcis Ieſu)
Lætitiam donas tunc quoque quando negas.

JOANN. 10.

In gregem Chriſti Paſtoris.

O Grex, ô nimiùm tanto Paſtore beatus!
O ubi ſunt tanto paſcua digna grege?

Nè non digna forent tanto grege paſcua, Chriſtus
Ipſe ſuo eſt Paſtor, paſcuum *& ipſe gregi.*

In vulnera pendentis Domini.

S*Ive* oculos, *ſive* ora *vocem tua vulnera; certè*
Undique ſunt ora (heu!) undique ſunt oculi.

Ecce ora! ô nimiùm roſeis florentia labris!
Ecce oculi! ſævis ah madidi lacrymis!

Magdala, quæ lacrymas ſolita es, quæ baſia ſacro
Ferre pedi, ſacro de pede ſume vices.

Ora *pedi ſua ſunt, tua quò tibi baſia reddat:*
Quò reddat lacrymas ſcilicet eſt oculus.

MARC. 2.

Paralyticus convaleſcens.

C*Hriſtum, quòd miſero facilis peccata remittit,*
Scribæ blaſphemum *dicere non dubitant.*

Hoc ſcelus ut primùm Paralyticus audiit; irâ
Impatiens, lectum ſuſtulit atque abiit.

Joann. 8.59.

Tunc ſuſtulerunt lapides.

Saxa? illi? quid tam fœdi voluêre furores?
Quid ſibi de ſaxis hi voluêre ſuis?

Indolem, & antiqui agnoſco veſtigia patris:
Panem de ſaxis hi voluêre ſuis.

In reſurrectionem Domini.

Naſceris, en! tecúmque tuus (Rex auree) mun-
Tecum * virgineo *naſcitur è tumulo.* *(dus,*

Tecum in natales properat natura ſecundos,
Atque novam vitam te novus orbis habet.

Ex vita (Sol alme) tua vitam omnia ſumunt:
Nil certè, niſi mors, cogitur indè mori.

At certè neque mors: nempe ut queat illa ſepulchro
(Chriſte) tuo condi, mors volet ipſa mori.

* Joann. 19.41. ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη.

Matth. 28. 17.

Aliqui verò dubitabant.

Scilicet & tellus * dubitat *tremebunda: ſed ipſum* (*hoc*,
Quòd tellus dubitat, vos dubitare vetat.
Ipſi cuſtodes vobis, ſi quæritis, illud
Hoc ipſo dicunt, * dicere quòd nequeunt.

* Verſ. 2. σεισμὸς ἐγένετο μέγας.
* Verſ. 4. ἐσείσθησαν ὁι τηροῦντες ϗ ἐγένοντο ὡσεὶ νεκρόι.

Joann. 20. 20.

In vulnerum veſtigia quæ oſtendit Dominus, ad firmandam ſuorum fidem.

His oculis (nec adhuc clauſis coïêre feneſtris)
Invigilans nobis eſt tuus uſus amor.
His oculis nos cernit amor tuus: his & amorem
(Chriſte) tuum gaudet cernere noſtra fides.

Luc. 17. 19.

Mittit Joannes qui quærant à Chriſto, an is ſit.

Tu qui adeò impatiens properâſti agnoſcere Chri- (*ſtum*,
Tunc cùm clauſtra uteri te tenuêre tui,
Tu, quis ſit Chriſtus, rogitas? & quæris ab ipſo?
Hoc tibi vel mutus dicere quiſque poteſt.

Joann.

Joann. 18. 10.

In Petrum auricîdam.

Quantumcunque ferox tuus hic (Petre) fulminat enſis,
Tu tibi jam pugnas (ô bone) non Domino.

Scilicet in miſeram furis implacidiſſimus aurem,
Perfidiæ teſtis nè queat eſſe tuæ.

Marc. 3.

Manus arefacta ſanatur.

Felix! ergò tuæ ſpectas natalia dextræ,
Quæ modò ſpectanti flebile funus erat.

Quæ nec in externos modò dextera profuit uſus,
Certè erit illa tuæ jam manus & fidei.

Matth. 27. 24.

In Pontium malè lautum.

Illa manus lavat unda tuas, vaniſſime Judex:
Ah tamen illa ſcelus non lavat unda tuum.

Nulla ſcelus lavet unda tuum: vel ſi lavet ulla,
O volet ex oculis illa venire tuis.

MATTH. 17.27.

In piſcem dotatum.

TU piſcem ſi, Chriſte, velis, venit ecce, ſuûmque
Fert pretium: tanti eſt vel periiſſe tibi.

Chriſte, foro tibi non opus eſt; addicere nummos
Non opus eſt: ipſum ſe tibi piſcis emet.

JOANN. 16. 33.

Ego vici mundum.

TU contra mundum dux es meus, optime Jeſu?
At tu (me miſerum!) dux meus ipſe jaces.

Si tu, dux meus, ipſe jaces, ſpes ulla ſalutis?
Immo, ni jaceas tu, mihi nulla ſalus.

In aſcenſionem Dominicam.

VAdit (Io!) per aperta ſui penetralia cœli:
It cœlo, & cœlum fundit ab ore novum.

Spargitur ante pedes, & toto ſidere pronus
Jam propiùs Solis Sol bibit ora ſui.

At fratri debere negans ſua lumina Phœbe,
Aurea de Phœbo jam meliore redit.

Hos, de te victo, *tu das* (*Pater*) *ipſe* triumphos:
Unde triumphares, quis ſatis alter erat?

In deſcenſum Spiritûs ſancti.

Jam cœli circùm tonuit fragor: arma, mináſque
Turbida cum flammis miſta ferebat hyems.

Exclamat Judæus atrox; Venit ecce nefandis,
Ecce venit meriti fulminis ira memor.

Verùm ubi compoſito ſedit fax blandior aſtro,
Flammáque non læſas lambit amica comas;

Judæis, fulmen quia falſum apparuit eſſe,
Hoc ipſo verum nomine fulmen erat.

JOANN. 3. 16.

Sic dilexit mundum Deus, ut Filium morti traderet.

Ah nimis eſt, illum noſtræ vel tradere vitæ:
Guttula quod faceret, cur facit oceanus?

Unde

Unde & luxuriare poteſt, habet hinc mea vita:
Amplè & magnificè mors habet unde mori.

Luc. 14. 19.

Juga boum emi.

AD *cœnam voco te (domini quod juſſa volebant)*
Tu mihi, neſcio quos, dicis (inepte) boves.

Imò vale, nobis nec digne nec utilis hoſpes!
Cœna tuos (credo) malit habere boves.

Act. 14.

D. Paulum, verbo ſanantem claudum, pro Mercurio Lyſtres adorant.

QUis *Tagus hic, quæ Pactoli nova volvitur unda?*
Non hominis vox eſt hæc: Deus ille, Deus.

Salve, mortales nimium dignate penates!
Digna Deo ſoboles, digna tonante Deo!

O ſalve! quid enim (alme) tuos latuiſſe volebas?
Te dicit certè vel tua lingua Deum.

Landem

Laudem hanc haud miror: Meruit facundus haberi,
Qui claudo promptos ſuaſit habere pedes.

In S. Columbam ad Chriſti caput ſedentem.

C*Ui* ſacra *ſydereâ* volucris *ſuſpenditur alâ?*
Hunc nive plùs niveum cui dabit illa pedem?

Chriſte, tuo capiti totis ſe deſtinat auris,
Quà ludit denſæ blandior umbra comæ.

Illìc arcano quid non tibi murmure narrat?
(Murmure mortales non imitante ſonos)

Sola avis hæc *nido hoc non eſt indigna cubare:*
Solus nidus hic *eſt hâc bene dignus ave.*

Act. 12.

In fores Divo Petro ſponte apertas.

Q*Vid juvit clauſiſſe fores (bone janitor) iſtas?*
Et Petro claves *jam liquet eſſe ſuas.*

Dices, Sponte patent: Petri ergò hoc ſcilicet ipſum
Eſt clavis, Petro clave quòd haud opus eſt.

Luc. 15. 2.

Murmurabant Phariſæi, dicentes, Recipit peccatores & comedit cum illis.

Ah malè, quiſquis is eſt, pereat! qui ſcilicet iſtis
Convivam (ſævus!) non ſinit eſſe ſuum.

Iſtis cùm Chriſtus conviva adjungitur, iſtis
O non conviva eſt Chriſtus, at ipſe cibus.

Matth. 15.

In trabem Phariſaicam.

Cedant, quæ, rerum ſi quid tenue atq; minutum
Poſſe acie certâ figere, vitra dabunt.
Artis opus miræ! Phariſæo en optica trabs *eſt,*
Ipſum (vera loquor) quâ videt ille nihil.

Joann. 9. 22.

Conſtituerunt ut ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum, ſynagogâ moveretur.

Infelix, Chriſtum reus *es quicunque colendi!*
O reus infelix! quàm tua culpa gravis!

Tu

Tu ſummis igitur, ſummis damnabere *cœlis:*
O reus infelix! quàm tua pœna gravis!

Matth. 20. 20.

De voto filiorum Zebedæi.

S*It tibi (Joannes) tibi ſit (Jacobe) quod optas:*
Sit tibi dextra *manus; ſit tibi* læva *manus.*

Spero, alia in cœlo eſt, & non incommoda, ſedes:
Si neque læva *manus; ſi neque* dextra *manus.*

Cœli hanc *aut* illam *nolo mihi quærere partem:*
O, cœlum, cœlum *da (Pater alme) mihi.*

Joann. 6.

Ad hoſpites cœnæ miraculoſæ quinque panum.

V*Eſcere pane tuo: ſed & (hoſpes) veſcere Chriſto:*
Eſt panis pani ſcilicet ille tuo.

Tunc pane hoc CHRISTI rectè ſatur (hoſpes) abibis,
Panem ipſum CHRISTUM ſi magis eſurias.

Joann. 16. 33.

De Chriſti contra mundum pugna.

T*Une, miſer? tu (Mundus ait) mea fulmina contra*
Ferre manus, armis cùm tibi nuda manus?

I lictor; manibúſque audacibus injice vinc'la:
Injecit lictor vincula, & arma dedit.

Act. 9. 29.

Græci diſputatores Divo Paulo mortem machinantur.

E*Uge argumentum!* ſic diſputat: *euge ſophiſta!*
Sic pugnum Logices ſtringere, ſic decuit.

Hoc argumentum in cauſam quid (Græcule) dicit?
Dicit, te in cauſam dicere poſſe nihil.

Luc. 22. 26.

Qui maximus eſt inter vos, eſto ſicut qui minimus.

O *Bone, diſcipulus Chriſti vis maximus eſſe?*
At verò fies hâc ratione minor.

Hoc ſanctæ ambitionis iter (mihi crede) tenendum eſt,
Hæc ratio; Tu, nè ſis *minor,* eſſe velis.

Luc. 19. 41.

In lacrymantem Dominum.

Vobis (Judæi) vobis hæc volvitur unda;
Quæ vobis, quoniam ſpernitis, ignis erit.

Eia faces (Romane) faces! ſeges illa furoris,
Non niſi ab his undis, ignea meſſis erit.

Matth. 2.

Chriſtus in Ægypto.

Hunc tu (Nile) tuis majori flumine monſtra:
Hunc (nimis ignotum) *dic caput eſſe tibi.*

Jam tibi (Nile) tumes: jam te quoque multus inunda:
Ipſe tuæ jam ſis lætitiæ fluvius.

MATTH. 9.

In cæcos Chriſtum confitentes, Phariſæos abnegantes.

NE mihi, tu (Phariſæe ferox) tua lumina jactes:
En cæcus! Chriſtum cæcus at ille videt.

Tu (Phariſæe) nequis in Chriſto cernere Chriſtum:
Ille videt cæcus; cæcus es ipſe videns.

MATTH. 16. 24.

Si quis pone me veniet, tollat crucem & ſequatur me.

ERgò ſequor, ſequor *en! quippe & mihi crux mea, (Chriſte, eſt:*
Parva quidem; ſed quam non ſatis, ecce, rego.

Non rego? non parvam hanc? ideo neq; parva putanda eſt.
Crux magna eſt, parvam non bene ferre crucem.

LUC. 5. 28.

Relictis omnibus ſequutus eſt eum.

QUas Matthæus opes, ad Chriſti juſſa, reliquit,
Tum primùm verè cœpit habere ſuas.

Iſte

Iſte malarum eſt uſus opum bonus, unicus iſte;
Eſſe malas homini, quas bene perdat, opes.

MATTH. 25. 29.

Ædificatis ſepulchra Prophetarum.

SAnctorum in tumulis quid vult labor ille colen-
Sanctorum mortem non ſinit ille mori. (dis?

Vane, Prophetarum quot ponis ſaxa ſepulchris,
Tot teſtes lapidum, queis periêre, facis.

MARC. 3.

In manum aridam quâ Chriſto mota eſt miſeratio.

(ſalutem:
PRende (miſer) Chriſtum; & cum Chriſto prende
At manca eſt (dices) dextera: prende tamen.

Ipſum hoc, in Chriſtum, manus eſt: hoc prendere Chriſtum eſt,
Quâ Chriſtum prendas, non habuiſſe manum.

Ad D. Lucam medicum.

NUlla mihi (Luca) de te medicamina poſco,
Ipſe licèt medicus ſis, licèt æger ego:

Quippe ego in exemplam fidei dum te mihi pono,
Tu, medice, ipſe mihi es tu medicina mea.

Luc. 14. 4.

Hydropicus ſanatus, Chriſtum jam ſitiens.

PEllitur indè ſitis; ſed & hinc ſitis altera ſurgit:
Hinc ſitit ille magìs, quò ſitit indè minús.

Fælix ô, & mortem poterit qui temnere morbus!
Cui vitæ *ex ipſo* fonte *ſititur aqua*!

In cœtum cœleſtem omnium Sanctorum.

FElices animæ! quas cœlo debita virtus
Jam potuit veſtris inſeruiſſe polis.

Hoc

Hoc dedit egregii non parcus ſanguinis uſus,
Spéſque per obſtantes expatiata vias.

O ver! ô longæ ſemper ſeges aurea lucis!
Nocte nec alternâ dimidiata dies!

O quæ palma *manu ridet! quæ fronte* corona!
O nix *virgineæ non temeranda togæ!*

Pacis inoccidua vos illîc ora videtis:
Vos Agni dulcis lumina: vos —— Quid ago?

MATTH. 8. 13.

Chriſtus abſenti medetur.

VOx jam miſſa ſuas potuit jam tangere metas?
O ſuperi! non hoc ire ſed iſſe fuit.

Mirac'lum fuit ipſa ſalus (bene credere poſsis)
Ipſum, mirac'lum eſt, quando ſalutis iter.

Joann. 9.

Cæcus natus.

F*Elix, qui potuit tantæ poſt nubila noctis*
(O dignum tantâ nocte!) videre diem:

Felix ille oculus, felix utrinque putandus;
Quòd videt, & primùm quòd videt ille Deum.

Matth. 9.

Et ridebant illum.

L*Uctibus in tantis, Chriſtum ridere vacabat?*
Vanior iſte fuit riſus, an iſte dolor?

Luctibus in tantis hic veſter riſus, inepti,
(Credite mî) meruit maximus eſſe dolor.

Matth. 11.25.

In ſapientiam ſeculi.

NOli altum ſapere(*hoc veteres voluêre magiſtri*)
Nè retrahat laſſos alta ruina gradus.

Immo

Immo mihi dico, Noli ſapuiſſe profundum:
Non ego ad infernum me ſapuiſſe velim.

In ſtabulum ubi natus eſt Dominus.

I*Lla domus* ſtabulum? *non eſt (Puer auree) non eſt:*
Illa domus, quà tu naſceris, eſt ſtabulum?

Illa domus toto domus eſt pulcherrima mundo;
Vix cœlo dici vult minor illa tuo.

Cernis ut illa ſuo paſſim domus ardeat auro?
Cernis ut effuſis rideat illa roſis?

Sive aurum non eſt, nec quæ roſa rideat illic;
Ex oculis facile eſt eſſe probare tuis.

ACT. 8.

S. Stephanus amicis ſuis, funus ſibi curantibus.

N*Ulla (precor) buſto ſurgant mihi marmora: (buſtum*
Hæc mihi ſint mortis conſcia ſaxa meæ.

Sis

Sic nec opus fuerit, notet ut quis carmine buſtum,
Pro Domino (*dicens*) occidit ille ſuo.

Hic mihi ſit tumulus, quem mors dedit ipſa; meique
Ipſe hic martyrii *ſit mihi* martyrium.

In D. Joannem, quem Domitianus ferventi oleo (illæſum) indidit.

I*Llum (qui, toto currens vaga flammula mundo,*
Non quidem Ioannes, ipſe ſed audit amor)

Illum ignem extingui, bone Domitiane, laboras?
Hoc non eſt oleum, *Domitiane*, dare.

In tenellos Martyres.

A*H qui tam propero cecidit ſic funere, vitæ*
Hoc habuit tantùm, poſsit ut ille mori.

At cujus Deus eſt ſic uſus funere, mortis
Hoc tantùm, ut poſsit vivere ſemper, habet.

Matth. 4. 24.

Attulerunt ei omnes malè affectos, dæmoniacos, lunaticos —— & ſanavit eos.

Collige te tibi (torve Draco) furiáſque facéſque,
Quáſque vocant peſtes nox Erebúſque ſuas:

Fac colubros jam tota ſuos tua vibret Erinnys;
Collige, collige te fortiter, ut ——pereas.

Luc. 2.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.

Quando habeat gladium *tua, Chriſte, tragœdia* (*nullum,*
Quis fuerit gladius, *Virgo beata, tuus?*

Námq; nec ulla aliàs tibi ſunt data vulnera, Virgo,
Quàm quæ à vulneribus ſunt data, Chriſte, tuis.

Forſan quando ſenex jam caligantior eſſet,
Quod Simeon gladium *credidit,* haſta *fuit.*

Immo neque haſta *fuit, neque* clavus, *ſed neq;* ſpina:
Hei mihi, ſpina *tamen,* clavus, *&* haſta *fuit.*

Nam queiſcunq; malis tua, Chriſte, tragœdia crevit,
Omnia ſunt gladius, *Virgo beata, tuus.*

In

In ſanguinem circumciſionis Dominicæ.

Ad convivas, quos hæc dies apud nos ſolennes habet.

Heus conviva! bibin'? Maria hæc, Mariæq; puel-
Mittunt de prælo muſta bibenda ſuo. (lus,

Una quidem eſt (toti quæ par tamen unica mundo)
Unica gutta, ſuo quæ tremit orbiculo.

O bibite hinc; quale aut quantum vos cunque bibiſtis,
(Credite mî) nil tam ſuave bibiſtis adhuc.

O bibite & bibite; & reſtat tamen uſquè bibendum:
Reſtat, quod poterit nulla domare ſitis.

Scilicet hîc, menſura ſitis, menſura bibendi eſt:
Hæc quantum cupias vina bibiſſe, bibis.

Luc. 2.

Puer Jeſus inter Doctores.

Fallitur, ad mentum qui pendit quemq; profun-
Ceu poſſint læves nil ſapuiſſe genæ. (dum,

Scilicet

Scilicet è barba malè menſuratur Apollo;
Et bene cum capitis ſtat nive, mentis hyems.

Diſcat, & à tenero diſci quoque poſſe magiſtro:
Canitiem capitis *nec putet eſſe* caput.

JOANN. 2.

Ad Chriſtum, de aqua in vinum verſa.

SIgna tuis tuus hoſtis habet contraria ſignis:
In vinum triſtes tu mihi vertis aquas.

Ille autem è vino lacrymas & jurgia ducens,
Vina *iterum in triſtes (hei mihi!) mutat* aquas.

LUC. 2.

Chriſtus infans Patri ſiſtitur in templo.

AGnus eat, ludátq; (licet) ſub patre petulco;
Cúmque ſua longùm conjuge turtur agat.

Conciliatorem *nihil hîc opus ire per* agnum:
Nec tener ut volucris non ſua fata ferat.

Hactenus exigua hæc, quaſi munera, luſimus; hæc qua
Multum excuſanti ſunt capienda manu.

Hoc

Hoc Donum eſt; de quo, toto tibi dicimus ore,
Sume Pater: *meritis hoc tibi ſume ſuis.*

Donum hoc eſt, hoc eſt; quod ſcilicet audeat ipſo
Eſſe Deo dignum : *ſcilicet* ipſe Deus.

MATTH. 8.

Leproſus Dominum implorans.

CRedo quòd iſta potes, velles modó: ſed quia credo,
Chriſte, quòd iſta potes, credo quòd iſta voles.

Tu modò, tu faciles mihi, Sol meus, *exere vultus;*
Non poterit radios nix mea *ferre tuos.*

MATTH. 8.

Chriſtus in tempeſtate.

QUòd fervet tanto circum te, Chriſte, tumultu,
Non hoc ira maris, Chriſte, ſed ambitio eſt.

Hæc illa ambitio eſt, hoc tanto te rogat ore,
Poſsit ut ad monitus, Chriſte, tacere tuos.

ACT.

Act. 16. 21.

Annunciant ritus, quos non licet nobis ſuſcipere, cùm ſimus Romani.

Hoc Cæſar tibi(Roma) tuus dedit, armáq;? ſolis
Romanis igitur non licet *eſſe piis?*

Ah, meliùs, tragicis nullus tibi Cæſar in armis
Altus anhelanti detonuiſſet equo;

Nec domini volucris *facies horrenda per orbem*
Suetâ tibi in ſignis torva venire tuis:

Quàm miſer ut ſtaret de te tibi (Roma) triumphus,
Ut tantâ fieres ambitione nihil.

Non tibi, ſed ſceleri vincis: proh laurea triſtis!
Laurea, Cerbereis aptior umbra comis!

Tam turpi vix ipſe pater diademate Pluto,
Vix ſedet ipſe ſuo tam niger in ſolio.

De tot Cæſareis redit hoc tibi (Roma) triumphis:
Cæſareè, *aut (quod idem eſt)* egregiè *miſera es.*

Matth. 4.

Hic lapis fiat panis.

ET fuit: *ille lapis (quidni ſit dicere?) panis,*
Chriſte, fuit: panis ſed tuus *ille fuit.*

Quippe, Patris cùm ſic tulerit ſuprema voluntas,
Eſt panis, panem non habuiſſe, tuus.

Matth. 15.

Mulier Canaanitis.

Q*Vicquid Amazoniis dedit olim fama puellis,*
Credite: Amazoniam *cernimus ecce* fidem.

Fœmina, tam fortis fidei? jam credo fidem eſſe
Plus quàm grammaticè fœminei generis.

Luc. 11.

Deus, poſt expulſum Dæmonem mutum, maledicis Judæis os obturat.

U*Nâ penè operâ duplicem tibi Dæmona frangis:*
Iſte quidem Dæmon mutus; *at ille* loquax.

Scilicet in laudes (quæ non tibi laurea ſurgit?)
Non magis hic loquitur, *quàm* tacet *ille tuas.*

Joann. 6.

Dicebant, Verè hic eſt propheta.

Poſt *tot quæ* videant, *tot quæ miracula* tangant,
Hæc & quæ guſtent (*Chriſte*) *dabas populo.*

Jam Vates, Rex, *& quicquid pia nomina poſſunt,*
Chriſtus erat: vellèm dicere, venter erat.

Namque his, quicquid erat Chriſtus, de ventre reple-
Omne illud vero nomine venter erat. (*to*

Joann. 10. 22.

Chriſtus ambulabat in porticu Solomonis, & hyems erat.

B*ruma fuit? non, non: ah non fuit, ore ſub iſto:*
Si fuit; haud anni, nec ſua bruma fuit.

Bruma tibi vernis velit ire decentior horis,
Per ſibi non natas expatiata roſas.

At, tibi nè poſſit ſe tam bene bruma negare,
Sola hæc, quam vibrat gens tua, * grando *vetat.*

* Verſ. 31. ſuſtulerunt lapides.

Matth. 28.

Dederunt nummos militibus.

NE miles velit iſta loqui, tu munera donas?
Donas, quod poſſit, cùm tacet ipſe, loqui.

Quæ facis à quoquam, pretio ſuadente, taceri;
Clariùs, & dici turpiùs iſta facis.

Beatæ Virgini.

De ſalutatione Angelicâ.

Χαῖρε ſuum *neque Cæſareus jam nuntiet ales;*
Χαῖρε tuum *pennâ candidiore venit.*

Sed taceat, qui Χαῖρε tuum *quoque nuntiat, ales;*
Χαῖρε meum *pennâ candidiore venit.*

Quis dicat mihi Χαῖρε meum *magè candidus autor,*
Quàm tibi quæ dicat candidus ille tuum?

Virgo, rogas, quid candidius quàm candidus ille
Eſſe poteſt? Virgo, quæ rogat, eſſe poteſt.

Χαῖρε tuum (*Virgo*) *donet tibi candidus ille;*
Donas candidior tu mihi Χαῖρε meum.

Χαῖρε meum *de* Χαῖρε tuo *quid differat, audi:*
Ille tuum dicit, *tu* paris (*ecce*) *meum.*

Pontio

Pontio lavanti.

NOn ſatis eſt cædes, niſi ſtuprum hoc inſuper addas,
Et tam virgineæ ſis violator aquæ?

Nympha quidem pura hæc & honeſti filia fontis
Luget, adulterio jam temerata tuo.

Caſta verecundo properat cum murmure gutta,
Nec ſatis in lacrymam ſe putat eſſe ſuam.

Deſine tam nitidos ſtuprare (ah, deſine) rores:
Aut dic, quæ miſeras unda lavabit aquas.

In die Paſſionis Dominicæ.

TAmne ego ſim tetricus? valeant jejunia: vinum
Eſt mihi dulce meo (nec pudet eſſe) cado.

Eſt mihi quod caſtis, neque prelum paſſa, *racemis*
Palmite virgineo protulit uva parens.

Hoc mihi (ter denis ſat enim maturuit annis)
Tandem ecce è dolio præbibit haſta ſuo.

Jámque it; & ô quanto calet actus aromate torrens!
Acer ut hinc aurâ divite currit odor!

Quæ roſa per cyathos volitat tam viva Falernos?
Maſſica quæ tanto ſydere vina tremunt?

O ego neſcibam; atque ecce eſt Vinum *illud* amoris:
Unde ego ſim tantis, unde ego par cyathis?

Vincor: & ô iſtis totus propè miſceor auris:
Non ego ſum tantis, non ego par cyathis.

Sed quid ego invicti metuo bona robora vini?
*Ecce eſt, quæ validum diluit, * unda, merum.*

* Joh. 19. & continuò exivit ſanguis & aqua.

In die Reſurrectionis Dominicæ.

Venit ad ſepulchrum Magdalena ferens aromata:

Q*Vin & tu quoque buſta tui Phœnicis adora;*
Tu quoque fer triſtes (*mens mea*) delitias.

Si

Si nec aromata ſunt, nec quod tibi fragrat amomum;
(Qualis Magdalinâ eſt meſſis odora manu)

Eſt quod aromatibus præſtat, quod præſtat amomo:
Hæc tibi mollicula, hæc gemmea lacrymula.

Et lacryma eſt aliquid: *neque fruſtra Magdala fle-*
Sentiit hæc, lacrymas non nihil eſſe ſuas. (vit:

His illa (& tunc cùm Domini caput iret amomo)
Invidiam capitis fecerat eſſe pedes.

Nunc quoq; cùm ſinus huic tanto ſub aromate ſudet,
Plus capit ex oculis, quo litet, illa ſuis.

Chriſte, decent lacrymæ: decet iſto rore *rigari*
Vitæ *hoc* æternum mane, tuúmque diem.

Luc. 24.

In cicatrices Domini adhuc ſuperſtites.

A*Rma vides; arcus, pharetrámq;, levéſq; ſagittas,*
Et quocunque fuit nomine miles Amor.

His fuit uſus Amor: ſed & hæc fuit ipſe; ſuúmque
Et jaculum, & jaculis ipſe pharetra ſuis.

Nunc ſplendent tantùm; & deterſo pulvere belli
E memori pendent nomina magna tholo.

Tempus erit tamen, hæc ira quando arma, pharetrámq;
Et ſobolem pharetræ ſpicula tradet Amor.

Heu! quâ tunc animâ, quo ſtabit conſcia vultu,
Quum ſcelus agnoſcet dextera quæq; ſuum?

Improbe, quæ dederis, cernes ibi vulnera, miles,
Quâ tibi cunque tuus luſerit arte furor.

Seu digito ſuadente tuo mala Laurus *inibat*
Temporibus; ſacrum ſeu bibit haſta latus:

Sive tuo clavi ſævùm rubuêre ſub ictu;
Seu puduit juſſis ire flagella tuis.

Improbe, quæ dederis, cernes ibi vulnera, miles:
Quod dederis vulnus, cernere, vulnus erit.

Plaga ſui vindex clavóſ*que rependet* & haſtam:
Quòque rependet, erit clavus & haſta *ſibi.*

Quis tam terribiles, *tam* juſtas *moverit iras?*
Vulnera pugnabunt (Chriſte) vel ipſa tibi.

JOANN. 14.

Pacem meam do vobis.

B*Ella vocant: arma (ô ſocii) noſtra arma paremus*
Atque enſes: noſtros ſcilicet (ah!) jugulos.

Cur ego bella paro, cùm Chriſtus det mihi pacem?
Quòd Chriſtus pacem dat mihi, bella paro.

Ille dedit (nam quis potuit dare certior autor?)
Ille dedit pacem: ſed dedit ille ſuam.

ACT. 9.

In D. Paulum illuminatum ſimul & excæcatum.

Q*Væ, Chriſte, ambigua hæc* bifidi *tibi gloria* teli
Quod ſimul huic oculos abſtulit, atq; dedit? (eſt,

Sancta dies animi, hac oculorum in nocte, latebat;
Te ut poſſit Paulus cernere, cæcus erat.

JOANN. 15.

Ego ſum via.   Ad Judæos ſpretores Chriſti.

O *Sed nec calcanda tamen: pes improbe pergis?*
Improbe pes, ergò hoc cœli erat ire viam?

Ah

Ah pereat (Judæe ferox) pes improbus ille,
Qui cœli tritam *ſic facit eſſe* viam.

MATTH. 2.

In nocturnum & hyemale iter infantis Domini.

ERgò viatores teneros, cum Prole Parentem,
Nox habet hos, queîs eſt digna nec ulla dies?

Nam quid ad hæc Pueri vel labra, genáſve Parentis?
Heu quid ad hæc facient oſcula, nox & hyems?

Lilia ad hæc facerent, faceret roſa; quicquid & halat
Æterna Zephyrus qui tepet in viola.

Hi meruêre, quibus vel nox ſit nulla; vel ulla
Si ſit, eat noſtrâ puriùs illa die.

Ecce ſed hos quoque nox & hyems clauſêre tenellos:
Et quis ſcit, quid nox, quid meditetur hyems?

Ah nè quid meditetur hyems ſævire per Auſtros!
Quæq; ſolet nigros nox mala ferre metus!

Ah nè noctis eat currus non mollibus Euris!
Aſpera nè tetricos nuntiet aura Notos!

Heu quot habent tenebræ, quot vera pericula ſecum!
Quot noctem dominam, quantáq; monſtra colunt!

Quot vaga quæ falſis veniunt ludibria formis!
Trux oculus! Stygio concolor ala Deo!

Seu

Seu veris ea, ſive vagis ſtant monſtra figuris;
Virginei ſatìs eſt hinc, ſatìs inde metûs.

Ergò veni; totóque veni reſonantior arcu,
(Cynthia) prægnantem clange procul pharetram.

Monſtra vel iſta, vel illa, tuis ſint meta ſagittis:
Nec fratris jaculum certior aura vehat.

Ergò veni; totóque veni flagrantior ore,
Dignáque Apollineas ſuſtinuiſſe vices.

Scis bene quid deceat Phœbi lucere ſororem:
Ex his, ſi neſcis, (Cynthia) diſce genis.

O tua, in his, quantò lampas formoſior iret!
Nox ſuam, ab his, quantò malit habere diem!

Quantùm ageret tacitos hæc luna modeſtior ignes!
Atque verecundis ſobria ſtaret equis!

Luna, tuæ non eſt roſa tam pudibunda diei:
Nec tam virgineo fax tua flore tremit.

Ergò veni; ſed & aſtra, tuas age (Cynthia) turmas:
Illa oculos pueri, quos imitentur, habent.

Hinc oculo, hinc aſtro: at parili face nictat utrumque;
Ætheris os, atque os æthereum Pueri.

Aſpice, quàm bene res utriuſque deceret utrumque!
Quàm bene in alternas mutua regna manus!

Ille oculus cœli hôc ſi ſtaret in æthere frontis;
Sive aſtrum hoc Pueri, fronte ſub æthera.

Si Pueri hoc aſtrum æthereâ ſub fronte micaret,
Credat & hunc oculum non minùs eſſe ſuum.

Ille oculus cœli, hoc ſi ſtaret in æthere frontis,
Non minùs in cœlis ſe putet eſſe ſuis.

Tam pulchras variare vices cum fronte Puelli,
Cúmque Puelli oculis, æther & aſtra queant.

Aſtra quidem vellent; vellent æterna paciſci
Fœdera mutatæ ſedis inire vicem.

Æther & ipſe (licèt numero tam diſpare) vellet
Mutatis oculis tam bona pacta dari.

Quippe iret cœlum quantò melioribus aſtris,
Aſtra ſua hos oculos ſi modò habere queat!

Quippe aſtra in cœlo quantum meliore micarent,
Si frontem hanc poſſint cœlum habuiſſe ſuum.

Æther & aſtra velint: fruſtra velit æther, & aſtra:
Ecce negat Pueri frons, oculíque negant.

Ah neget illa, negent illi: nam quem æthera mallent
Iſti oculi? aut frons hæc quæ magìs aſtra velit?

Quid ſi aliquod blandâ face lenè renideat aſtrum?
Lactea ſi cœli térque quatérque via eſt?

Blandior hic oculus, roſeo hôc qui ridet in ore;
Lactea frons hæc eſt térque quatérque magís.

Ergò negent, cœlúmque ſuum ſua ſydera ſervent:
Sydera de cœlis non bene danda ſuis.

Ergò

Ergò negant: ſéque ecce ſua ſub nube recondunt,
Sub tenera occidui nube ſupercilii:

Nec claudi contenta ſui munimine cœli,
Quærunt in gremio Matris ubi lateant.

Non niſi ſic tactis ubi nix tepet illa pruinis,
Caſtáque non gelido frigore vernat hyems.

Scilicet iſte dies tam pulchro veſpere tingi
Dignus; & hos ſoles ſic decet occidere.

Claudat purpureus qui claudit veſper Olympum;
Puniceo placeas tu tibi (Phœbe) toro;

Dum tibi laſcivam Thetis auget adultera noctem,
Pone per Heſperias ſtrata pudenda roſas.

Illas nempe roſas, quas conſcia purpura pinxit;
Culpa pudórque ſuus queîs dedit eſſe roſas.

Hos ſoles, niveæ noctes, caſtúmque cubile,
Quod purum ſternet per mare virgo Thetis;

Hos, ſancti flores; hos, tam ſincera decebant
Lilia; quæq; ſibi non rubuêre roſæ.

Hos, decuit ſinus hic; ubi toto ſydere proni
Ecce lavant ſeſe lacteo in oceano.

Atque lavent: tandémque ſuo ſe mane reſolvant,
Ipſa dies ex hoc ut bibat ore diem.

JOANN

JOANN. 16. 26.

Non dico, me rogaturum Patrem pro vobis.

AH tamen Ipſe roga: *tibi ſcilicet ille roganti*
Eſſe nequit durus, nec ſolet eſſe, Pater.

Ille ſuos omni facie te figit amores;
Inq; tuos toto effunditur ore ſinus.

Quippe, tuos ſpectans oculos, ſe ſpectat in illis;
Inq; tuo (Jeſu) ſe fovet ipſe ſinu.

Ex te metitur ſeſe, & ſua numina diſcit:
Indè repercuſſus redditur ipſe ſibi.

Ille tibi ſe, te ille ſibi par nectit utrinque:
Tam tuus eſt, ut nec ſit magìs ille ſuus.

Ergò roga: Ipſe roga: *tibi ſcilicet ille roganti*
Eſſe nequit durus, nec ſolet eſſe, Pater.

Illum ut ego *rogitem? Hôc (eheu) non ore rogandum;*
Ore ſatìs puras non faciente preces.

Illum ego ſi rogitem, quis ſcit quibus ille procellis
Surgat, & in miſerum hoc quæ tonet ira caput?

Iſto etiam forſan veniet mihi fulmen ab ore:
(Sæpe iſto certè fulmen ab ore venit)

Ille unâ irati forſan me cuſpide verbi,
Uno me nutu figet, & interii:

Non

Non ego, non rogitem: mihi ſcilicet ille roganti
Durior eſſe poteſt, & ſolet eſſe, Pater.

Immo rogabo: nec ore meo tamen: immo rogabo
Ore meo (Jeſu) ſcilicet ore tuo.

In die Aſcenſionis Dominicæ.

USq; etiam noſtros Te (Chriſte) tenemus amores?
Heu cœli quantam hinc invidiam patimur!

Invidiam patiamur: habent ſua ſydera cœli;
Quæq; comunt tremulas criſpa tot ora faces;

Phœbénque & Phœbum, & tot pictæ vellera nubis,
Vellera, quæ roſeâ Sol variavit acu.

Quantum erat, ut ſinerent hâc unâ nos face ferri?
Una ſit hîc: ſunt (& ſint) ibi mille faces.

Nil agimus: nam tu quia non aſcendis ad illum,
*Æther * deſcendit (Chriſte) vel ipſe tibi.*

* Act. 1. Nubes ſuſceptum eum abſtulit.

FINIS.